

Kreis
Steinfurt
S 30

1295 Sept. 2 Burgsteinfurt.

[2] 30
Der Edle Baldewin von Steinfurt gibt der Kapelle Hisselskirche zum Erfaße für
das verfaute Erbe Stade ein Erbe in Berchdorp (alte Bischft. im Käpl. Greven).

Nos Baldewinus nobilis vir dominus de Stenvorde universis et singulis
presentes litteras visuris et audituris imperpetuum. Presentium tenore pro-
testamur et notum facimus universis tam posteris quam modernis, quod nos
cum pleno consensu ac bona voluntate uxoris nostre Elyzabeth, Ludolfi et
Baldewini filiorum nostrorum ceterorumque omnium heredum ac coheredum
nostrorum domum et mansum in Berchdorp cum hominibus ad eundem
mansum pertinentibus cum omnibus attinenciis dedimus in concambium
capelle in Hisselskerken pro domo et manso dicto Stade quondam predicte
cappelle attinente perpetuo possidendum. Et quia predictus mansus in Berch-
dorp tantum non valuit quantum mansus in Stade, ad supplementum valoris
eidem capelle in Hisselskerken addidimus denariorum legalium novem mareas.
In cuius rei testimonium et robur perpetue firmitatis sigillum nostrum una
cum sigillo uxoris nostre Elyzabeth presentibus est appensum. Et ego
Ludolfus nobilis vir de Stenvorde, quia sigillum proprium non habeo, sigillis
patris et matris mee predictis presentibus appensis utor tamquam sigillo meo.
Datum Stenvorde. Anno Domini M^oCC^o nonagesimo quinto, feria sexta
post decollationem sancti Johannis baptiste.

Orig. 2 Siegel ab. I. Rep. A. 16. e. — Rückschrift: Jß Berchdorp 1 wußt
Stede, perd(itum) per oblivionem predecessorum, non reperitur in (ration)ibus
nostris.